meam recognitionem, in exilio meo factam. Si quid interea humanitus mihi accidat, typographis sic edendam trades, habita ratione adjurationis illius quam novissimae editioni praefixeram. Vale ex Pathmo in Anweil Leewna, ubi furente in Palatinatu Marte et milite Hispano Bavaroq; grassante exulabam. Anno ibri a. d. 30 Decemb. Natali meo LXXIV.

249 Salutem et benedictionem à Deo. an Cramer

Quanto serius tanto liberalius me recrearunt literae tuae, amicissime Dne Cramere, nam et te somnia tua et Musas vestras, non tam tuo, quam et amicorum, adeoque et [illegible] prae[illegible] eius nostri nomine gratissima, siquum [illegible] humanitatis officia copiose polliceris, pro qua summa benevolentia vobis non possum non summas quoque gratias agere. Ita autem res nunc videntur comparatae, ut in ancipiti mihi sit consilium. Cum nuper hostes Neustadium premerent, periculum appareret imminere, quod secessum in interiora vestra suadebat, hortati filii ut alio transferrem; etsi autem Martis consilia et eventus sunt valde dubii, et nihilominus [illegible] audent tamen per hiemem Neustadiani securitatem sibi polliceri, quam utinam solidam eis det Dominus. Hac causa statui, post mitigatum brumale frigus, hinc ad filium me transferre, curandae saltem valetudinis causa, quae ex mutatione hac coeli ac victus non satis commoda. Nec valedico tamen asylo meo, sed volente Domino post recuperatam valetudinem, veterem nidum repetam, praesertim si interim [illegible] spes melior affulgeat circa Heidelbergam, quae foris ab hoste, intus lue grassante, proh dolor, graviter premitur, utinam brevi audiamus [illegible] laeto ex Nuncio. Caetera ex ill. Bruschio, cui festinanti paucula haec committere ad te volui, cognosces. Feliciter vale, et salve cum amicis ac Musis prosperrime. Anvilla 27. Decemb. 1621.

250 Si multis me curis liberat lex illa, dum singularis modestiae testimonium locupletissimum: nempe ut tu tenearis scribere quoties cunque argumentum occurrerit: mihi liberum sit respondere, seriis atque quoties libuerit. Nolo quidem hac lege uti: attamen plurimum illa et saepe me recreat. Novis